

animadvertit. Luculentius hoc demonstrabitur, si tempori inferviturus, quo secularis de Reformatione Lutheri memoria altera vice per summi Numinis favorem ac gratiam omnibus piis ob oculos versatur, ex veris rerum fundamentis & subsidiis *potiora Novatorum praejudicia circa LUTHERI Reformationem*, sine odio, criminandi libidine, & contradicendi pruritu, differendo excutiam, legitimisque rationibus rejiciam. Secundet DEVS T. O. M. hoc institutum, & in suum honorem & gloriam, Ecclesiae autem nostrae praesidium, adversariorum denique convictionem ac conversionem cedere ac evenire jubeat!

PRAEIVDICIUM IÆ

Lutheri Reformationem in doctrina minus fuisse necessariam.

§. VI. Coepta per LUTHERVM Ecclesiae Reformatione, plerique quidem Principes, & prudentiores Politici ad recuperandam libertatem, quae Principibus secularibus imminuta per Episcopos, Episcopis per Legatos Pontificis Romani & ejus curiam deprehendebatur, valde inclinabant, pauci vero rem rectius inspiciebant, ut errores & abusus in doctrina non tolerandos imprimis damnandos & rejiciendos esse existimarent. Hinc LUTHERI mentem omnino laudamus, qui cum ad Ecclesiam emendandam et reparandam divinitus excitaretur, ante omnia doctrinae puritatem restituendam esse docebat. Impudentissime igitur Reformationis necessitatem in doctrina impugnat GODOFREDVS ARNOLDVS *in der Historie und Beschreibung der mystischen Theologie c. XII. §. 2. p. 288.* ubi ad Theologiae mysticae circa Reformationis tempora indolem pervenit: *Die streitigen Partbeyen waren im Grunde der mystischen Theologie eines, und hätten, woferne man dem Frieden nachgejaget, im wesentlichen Grunde*